



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quare s[a]epè dissipantur imperia, magistratus, prudentes & pacifici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

iudicia, ferre leges necessarias ad regendos mores populi, & ad retinendam pacem. Hoc modo contempletur magistratus in Decalogo omnes partes sui officij. Et in hunc finem, ut magistratus sit verus custos legis Dei & vtriusque tabulæ, Apostolus iubet orare principes regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate. Officium magistratus est, ut pacem efficiat ac tueatur, sed finis pacis non debet esse secundum Apostolum, ut securi & quieti fruamur voluptatibus, sed ut honestè & piè viuamus, & populus doceatur & instituatur ad religionem. Hic finis pacis maxime tuendus est & perquirendus à Magistratu. Maxime enim hæc duo disciplina & doctrina, fieri debent in societate humana, ac conseruari à rectoribus, quæ etiam præcipit Apostolus Ephe. sexto, ut parentes exhibeant filiis. Disciplina est, diligenter coercere cupiditates, certis exercitijs, laboribus, studijs, & pœnis: his enim exercitijs domantur ingenia, fiuntque ad virtutes aptiora. Ideò Ethnici diligenter retinebant disciplinam: & scriptura dicit Prouerb. 13. Qui parat virgæ, odit filium suum. Sed doctrina quoque pietatis & religionis adhibenda est: nam doctrina sine disciplina parum proficit, sicut Lactantius inquit de scientia & religione: & Apostolus ait: Si habuerim mem prophetiam & omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum, 1. Corinth. 13. Effigetur lex siue disciplina pædagogus ad Christum, Galat. tertio. Vult igitur Apostolus homines doceri disciplina assuefieri, ut perueniant ad agnitionem Christi.

3. Tertiò, quoniam sæpè homines pace abutuntur, quæ paritur & tuetur à pijs Rectoribus, in ocio oblitum dederunt se voluptatibus: ideò Deus punit mundum frequentioribus bellis & dissipationibus regnorum. Sic comminatur Christus Hierosolimitanis Luca. 21. qui

qui in diebus pacis obliuiscabantur Dei, & dediti omni voluptati, non agnouerunt tempus visitationis suæ: & de quibus Hierem. 6. dicit, quòd securi clament, pax pax, & tamen non erat pax. Abusus ergo pacis apud populū est causa dissipationum Regnorum ac sæuissimorum externorum hostium occasio. Fit quoque aliquando propter ambitionem, auaritiam ac rigiditatem principum, sicut punitur Achab rex, quòd alienam vineam appetiuit, 2. Reg. 21. Regnum Israël dilaceratur propter idololatriam Salomonis, tertio Reg. 11. Roboam punitur, eò quòd noluit partem tributorum remittere, 3. Reg. 12. Sic Salomon in prouerb. 28. propter peccata populi multi sunt principes, & propter malos mores populi Deus dat infelices principes & hypocritas &c. Honorandi porrò sunt Magistratus & rectores, non precipuè quòd de alto genere nati, sed quia locum Dei tenent.

## CAPVT XI.

## ARGVMENTA.

1. *Quòd Deus dedit nobis parentes ideò, ut sint nostri Domini loco sui, id est, Dei.*
2. *Quæ sint magna bona, quæ Deus nobis per parentes nostros facit.*
3. *Quòd non solum sanos, sed etiam infirmos & senes parentes honorare debemus, & illis benefacere, ut simus capaces promissionis Dei.*

**D**eus præcepit honorare parentes, Exo. 20. Quia ipse proposuit & dedit nobis eos in Dominos nostros, qui locum suum teneant erga filios. Non enim casu fit, ut hic sit tibi pater, & hæc tua mater. Deus sic ordinauit & disposuit, atq; hæc est immensa Dei